

NOVA  
ACTA  
ERUDITORUM,  
ANNO  
MDCCLV  
publicata.

---

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque  
Electoris Saxonicæ Privilegiis.*

---

L I P S I Æ,

Prostant apud JO. FRID. GLEDITSCHIUM, &  
B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT.  
ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Parisiis apud BRIASSONUM,  
Ultrajecti apud JO. BROEDFLETUM, Lugduni Batavorum apud  
SAM. LUCHTMANSIUM, & Amstelodami in WAES-  
BERGIORUM & WETSTENII officinis.

---

LITERIS LANGENHEMIANIS,  
MDCCLV.

PROBLEMA GEOMETRICUM, PROPOSITUM

*publice ab Anonymo Geometra.*

**P**roposito puncto lucido  $F$  invenire omnes curvas  $AMB$  TAB. III  
 hujus naturæ, ut singuli radii ex  $F$  egressi post duplicem Fig. 3.  
 reflexionem in  $M$  &  $N$  in idem punctum  $F$  revertantur.  
 Primum quidem perspicuum est, omnes ellipses, quæ in  $F$   
 habeant alterutrum focum, quæsito satisfacere. Sed præterea  
 dantur innumerabiles aliæ curvæ, eadem indole gaudentes,  
 quarum investigatio limites analyseos non parum extendere  
 videtur.

CHRISTIANI WOLFII, UNIVERSITA-  
 tis Halensis Cancellarii, Monitum de libro, qui nu-  
 perrime in Batavia prodiit sub titulo: *La Decouver-  
 te de la Verité & le Monde detrompé à l'égard  
 de la Philosophie & de la Religion.*

**C**um haud ita pridem in Novellis, quæ Hagæ Comitum pu-  
 blicantur, legerem, prodiisse ibidem sumtibus Autoris  
 librum, cui titulus: *La Decouverte de la Verité & le Monde  
 detrompé à l'égard de la Philosophie & de la Religion*, & me  
 eundem approbasse; miratus sum, qua fide dicatur, me appro-  
 basse librum, quem MStum nunquam videram, multo minus  
 legeram, immo cujus ne quidem titulus mihi notus erat. Post-  
 quam vero ex amico intellexeram, *Hazfeldum* esse Autorem;  
 memoria mihi subiit, ante aliquot annos hunc Berolino, literis  
 commendatitiis instructum, ad me venisse, & a me petiisse, ut  
 subscriberem libro, suis sumtibus edendo, in quo insufficien-  
 tiam principiorum Philosophiæ *Newtonianæ* & *Cartesianæ* de-  
 monstraturus sit, qui vero tunc temporis nondum erat scri-  
 ptus, sed scribendus. Quoniam institutum Autoris non in-  
 utile judicabam ad reprimendum sectæ studium veritati inda-  
 gandæ inimicum; facile adduci me passus sum, ut, commen-  
 dationi satisfactorius, subscriptioni nominis adjicerem hæc ver-  
 ba: me istiusmodi librum non indignum judicare, qui impri-